

57. *Donatio facta determinatæ Ecclesiæ, an possit a quolibet acceptari?* — Deinde si pactio seu donatio fiat determinatæ Ecclesiæ, vel alicui alteri piæ causæ, potest ea a quolibet etiam homine privato acceptari; sicque iste alteri, seu tali Ecclesiæ pacisci, et paciscendo acquirere, idque favore religionis, et causæ piæ. Jason, loc. cit. n. 6, cum aliis. Intellige dummodo verba ad ipsum dirigantur; quia si verba nullo modo, neque expresse, neque implicite ad ipsum dirigantur, is non poterit acceptare promissionem, vel donationem pro tali determinata Ecclesia; prout ex communi docet Covarruvias in c. *Quamvis, de Pactis*. in 6, part. II, § 4, n. 13; Lessius, lib. II, de *Just. et jur.* cap. xviii, n. 49.

58. *De quibus rebus liceat pacisci?* — Quæritur III. De quibus rebus liceat pacisci? Resp. I. Generatim loquendo de omnibus rebus honestis simulque possibilibus, quæque sunt in commercio hominum ac paciscentium propriæ, possunt pacta iniri. Ita in re communis; et ostenditur declarando singulas particulas.

59. *Pacta contra leges, ac bonos mores, nullius sunt momenti.* — Dicitur imprimis, « de omnibus rebus honestis. » Nam generale est quod pacta, quæ sunt inhonesta, seu contra leges, vel contra bonos mores, nullam vim habeant, l. *Pacta quæ. c. h. t.* Et quod pactiones illæ, quæ observatæ, vergunt in animæ detrimentum, nullius penitus sint momenti, textus in cap. ult. h. t. illis subiectis verbis: « Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit. » Et hac ratione plura pacta in utroque jure reprobantur, de quibus infra § seq.

60. *Ad impossibile nemo potest obligari.* — Dicitur ulterius, « simulque possibilibus. » Quia « nemo potest ad impossibile obligari » juxta reg. 6 juris in 6, cum similibus. Sive dein aliquid sit impossibile de jure: ut quia, si fieret, læderet pietatem, existimationem, seu verecundiam nostram; ac generaliter, quia est contra bonos mores, seu a legibus prohibitum. l. *Filius qui, ff. de Conditionib. institut.* Sive impossibile de facto: ut quia naturaliter omnino non potest fieri, aut saltem non nisi difficillime, arg. c. *Sciscitatus*. 13 de *Rescript.*

61. *Pacisci non potest de iis, quæ non sunt in commercio hominum; et qualia hæc sint?* — Dicitur tertio, « quæque sunt in commercio hominum. » Nam imprimis de influxu stella-

rum, de aere, de mari, ac hujusmodi, quæ nullatenus sunt in commercio hominum, sed tam hominibus, quam bestiis communia existunt pacisci, non potest. Deinde illa, quæ sunt publica, ut puta flumina, littora, forum, theatra et similia, quæ usibus populi perpetuo exposita sunt, sub pactis privatorum non cadunt, § *Item Jurianus*. § fin. ff. de *Legat.* 1, in super res sacræ et religiosæ, cum sint juris divini, in nullius bonis sunt, § *Nullius*. iustit. de *Rerum divis.* Sicque nec in commercio hominum existunt, d. § *Idem juris*: ac proinde dato, vel accepto aliquo temporali, pacisci super eisdem non potest absque labe simoniæ, c. *Cum pridem*. et cap. ult. h. t. cum concordantiis.

62. *Pacisci solum potest de iis rebus, quæ sunt paciscentium propriæ. Nequit promitti factum alienum.* — Dicitur tandem, « ac paciscentium propriæ. » Hoc est, quod res illæ de quibus pacisci volumus, nostro dominio sint subjectæ, sive dein sint præsentis, sive absentes, vel etiam futuræ, ut fructus ex agris nostris nascituri: « quæ enim natura sua dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt, » ut inquit textus, in cit. § *Idem juris*. iustit. de *Inutil. stipulat.* Unde etiam factum alienum nemo promittere potest: quamvis valeat, si quis promittat se effecturum, ut alius aliquid faciat, vel det; talis enim proprium magis, quam alienum factum spondidisse videtur. Textus est in § *Si quis alium*. iustit. eod.

63. *Cur possit legari res aliena, non autem promitti factum alienum?* — Nec obstat, quod res aliena legari valeat, § *Non solum*, iustit. de *Legat.* Resp. enim disparitatem esse; quia promittens factum alienum, censetur velle alium obligare ad aliquid faciendum; hoc autem non est in ejus potestate. Econtra scienter legans rem alienam, non obligat alterum ad eam tradendam; sed solummodo suum hæredem (dato, quod velit adire hæreditatem) cogit, vel rem illam redimere, ac præstare; vel, si eam redimere nequit, æstimationem ejus dare, prout in cit. § *Non solum*, illico subjungitur.

§ III.

DE NONNULLIS PACTIS ILLICITIS, ET A JURE REPROBATIS.

64. *Pactum pro obtinenda re spirituali, est irritum. Quando datur temporale pro spirituali.*

— Quæritur I. An valeat pactum pro obtinendis rebus spiritualibus? Resp. I. Pactum pro re spirituali obtinenda irritum est, ac nullius momenti. Textus est in cap. ult. h. t. ubi additur, quod in spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare. Concordat c. *Quæsitum*, 5. de *Rerum permutat.* ubi additur, quod « pactio circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ, » cum similibus.

Atque hoc imprimis vel maxime procedit, quando pro obtinenda re spirituali datur quid temporale: imo hoc continet simoniam juris divini, cum sit simoniacum ex sui natura vendere, v. g. sacramenta, vel alia spiritualia. Glossa in c. *Cum pridem*. § *Illicite*.

65. *Vel quando illud intervenit circa beneficia, aut alia jure ecclesiastico prohibita.* — Deinde pactio circa spiritualia est illicita, et continet simoniam saltem ecclesiasticam, quando ea intervenit in beneficiis ecclesiasticis, aut aliis jure ecclesiastico prohibitis, tanquam continentibus speciem simoniæ, quamvis non detur aliquid temporale pro spirituali; ut si fiat permutatio præbendarum propria auctoritate, et sine interventu superioris, puta episcopi, c. *Quæsitum*, 5. de *Rerum permutat.*; aut quis resignet præbendam cum pacto, ut sibi solvatur certa pensio absque auctoritate Papæ, c. *Super eo*, 7. de *Transactionib.*; vel si eligendus, v. g. in episcopum, promittat alteri beneficium ecclesiasticum, ut det sibi votum in electione, c. *De hoc*, 11. de *Simonia*; et notat Azorius part. III, lib. XII, cap. VII, quæst. 1.

66. *Alioquin promittere spirituale pro spirituali, non est illicitum.* — Alioquin vero, ubi cessat prohibitio Ecclesiæ, dare vel promittere spirituale pro spirituali, ut puta certa rosaria recitanda pro celebratione missæ, vel sacras reliquias cum aliis permutare, non est illicitum, nec simoniacum. Siquidem cit. cap. ult. h. t. (ut explicat Glossa, § *Cessare*) solummodo loquitur de pactione illicita in spiritualibus, seu tali, quæ inducit simoniam. Concordat, idemque amplius declarat Glossa alia in c. *Quam pio*. 1, q. 1, § *Pactio*, expresse docens, quod in spiritualibus non removeatur, nisi pactio sit inhonesta; nam honesta non removeatur, ut can. *Quantum*, dist. 23, et can. *In ea Synodo*, dist. 100, et c. *Significatum, de Præbend.*, cum similibus. Et hoc modo intelligenda est præsens conclusio.

67. *Pactum, vi cujus beneficium ecclesiasti-*

cum debet pecunia resignari, non valet, imo est simoniacum. — Quæritur II. Quænam pacta, circa beneficia ecclesiastica in hoc titulo specialiter prohibeantur? Resp. I. Non valet pactum, vi cujus beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari. Ita desumitur ex c. *Cum pridem*, 4, h. t. et notat Abbas in *Summario*, alique doctores ibidem. Ratio est clara: quia dare spirituale pro temporali, est simonia: atqui beneficium ecclesiasticum est quid spirituale, et pecunia est quid temporale, c. *Consulere, de Simonia*, et alibi; ergo.

68. *Etiamsi quis cedat beneficio litigioso, et alter vicissim aliquid temporale offerat.* — Atque hoc etiam procedit de pacto illo, quo una pars litigantium privata conventionione, ac sine auctoritate superioris, cedit liti, et juri super beneficio litigioso, si quod in eo habeat; altera vero pars vicissim dal aliquid temporale, v. g. expensas factas restituit. Nam etiam in tali casu jus spirituale, quod quis in beneficio habet, vel saltem durante lite in ejus possessione existit, pro pecunia, aut alia re temporali, remittitur, ac resignatur; quod est simoniacum. Abbas in cit. c. *Cum pridem*, u. 1, et 2, et Barbosa in *Collectam*, ibid. n. 16, h. t. citans plurimos alios, estque communis.

69. *Atque istud detur nomine expensarum, quas alter fecit in consecutione beneficii.* — Nec obstat, quod illud temporale, v. g. pecunia, detur ac recipiatur nomine expensarum, quas possessor beneficii litigiosi fecit in ejus consecutione. Non obstat, inquam; tum quia in spiritualibus omnis pactio inter partes cessare debet, ut dictum n. 63; tum quia beneficia ecclesiastica non nisi simpliciter ac pure resignari debent, c. *Ex parte*, n. 12, de *Offic. delegat.* juncta Glossa § *Dimittere*, et doctoribus ibidem, et c. *Super eo*, 7. de *Transact.* cum similibus. Alioquin, si semel liceret nomine expensarum quid recipere, facile hoc posset fingi in fraudem. Abbas loc. cit. Accedunt dicta superius, tit. IX, de *Renuntiatione*, § 4, n. 75, 76, et seqq.

70. *Quid, si interveniat auctoritas superioris, v. g. episcopi?* — Additur notanter n. 68: « privata conventionione ac sine auctoritate superioris. » Nam interveniente auctoritate superioris, puta Papæ, vel episcopi ex gravi causa id concedentis, nihil obstat, quin pars cedens liti super beneficio exortæ, recipiat aliquid temporale: non quidem in compensationem juris sui, si quod in beneficio haberet (hoc enim apertam continet simoniam)

sed vel propter bonum pacis, arg. c. *Nisi essent*, 21, de *Præbend.* vel ob aliam hujusmodi justam causam. Layman, lib. IV, tract. X, cap. ult. n. 58, Fagnanus in cit. *Nisi essent*, num. 28, et Barbosa, ibid. num. 28, de *Præbend.* et alii.

4. *Pactum, quo quis promittit novam pensionem, vel augmentum antiquæ, si in beneficio instituitur, est illicitum, atque simoniacum.* — Resp. II. Insuper illicitum ac simoniacum est pactum quo quis promittit novam pensionem annuam, vel augmentum pensionis antiquæ, si in beneficio instituitur: et qui illud mediante tali pacto consecutus fuit, non solum eospoliandus est, sed etiam alias canonice puniendus. Patet hoc ex c. *Cum clerici*, 6, h. t. et tradit ibi communis doctorum. Ratio est clara: quia tunc committitur simonia, dum clericus promittit temporale, ut consequatur spirituale, videlicet beneficium: nam annua pensio, ac hujus augmentum, ad quam vel talis clericus propria auctoritate sese de novo obligat, non nisi quid temporale importat.

72. *Sive id fiat ante collationem beneficii, sive in ipsa.* — Unde sequitur, quod sive ante collationem beneficii, sive in ipsa collatione, pactum ejusmodi interveniat, collatio non valeat, cum sit simoniacefacta c. *Matthæus*, 23, de *Simoniacis*, et Extravag. *Cum detestabili*, eod. inter communes. Ac proinde clericus ita paciscens non tantum jubetur privari beneficio taliter adepto, (privatio enim præsupponit jus, arg. l. *Decem*, ff. de *Verb. obligat.*) sed et eo spoliari, ut loquitur textus in cit. c. *Cum clerici*, h. t. ac notat Abbas ibid. n. 2. Aliæ vero penæ canonicæ ipsius sunt depositio ab ordine, atque excommunicatio, can. *Repe-riuntur*, et can. *Erga simoniacos*, 1, q. 1.

73. *Quid, si primum interveniat post collationem beneficium.* — Quod si vero pactum de agenda, vel agenda pensione, primum interveniat post collationem beneficii, hæc non erit simoniaca, sed valida: peccat tamen, debetque puniri clericus, qui citra auctoritatem superioris Ecclesiarum constituit censualem, et c. *Prohibemus*, 7, et c. *Significavit*, 13, de *Censibus*, Abbas in cit. c. *Cum clerici*, n. 2, h. t.

74. *Pactum de succedendo in ecclesiasticis beneficiis, non valet.* — Resp. III. Non valet pactum de succedendo in ecclesiasticis beneficiis; ita videlicet, ut ista sub tali tenore clericis concedantur, quod post eorum mortem alii nominatim succedant. Textus est in c. *Accipimus*, 5, h. t. estque concursus sententia

doctorum. Et merito, tum quia beneficia ecclesiastica non nisi per canonicam institutionem obtineri debent, c. *Beneficium*, de *Reg. jur.* in 6, nequaquam vero per hæreditariam successionem, qualis hæc esse videtur, et sacris canonibus inimica semper fuit, ut can. *Apostolica*, 8, q. 1, et c. *Ad extirpandas*, 11, de *Filiis presbyt.* et c. *Nulla*, 2, de *Concess. præbend.* et alibi; tum quia per hujusmodi pactum daretur occasio captandæ mortis prioris beneficiarii, ut alter in beneficio succedere posset, contra d. c. *Nulla*, § 1 de *Concess. præbend.* ubi idcirco generaliter prohibetur, ne ecclesiastica beneficia antequam vacent, alicui tribuantur, vel promittantur.

75. *Nec valet pactum in præjudicium juris parochialis.* — Quæritur III. Utrum valeat pactum in præjudicium juris parochialis? Resp. I. Quando Ecclesia aliqua sive regularis sive secularis, rem suam locando, vel in feudum concedendo, apponit pactum in præjudicium juris parochialis alterius Ecclesiæ, tunc tale pactum non valet: et quidquid hæc occasione percipit, reddere cogitur illi Ecclesiæ, quæ exinde læsa fuit. Ita habetur expressum in c. *Plerique*, 7, h. t. ac notat Abbas in *Summario*, ibid. cum communi. Ratio est, quia nemo potest pacisci in præjudicium alterius non consentientis; hoc enim repugnat æquitati naturali, et virtuti justitiæ, volentis, ut alter non lædatur, jus suum unicuique tribuatur, et conservetur, § *Humanum*, dist. 1, et alteri per alterum iniqua conditio non inferatur, l. *Non debet*, ff. de *Reg. jur.* Atqui jura parochialis sunt debita ipsi Ecclesiæ parochiali ratione spiritualis ministerii, cap. ult. de *Parochiis*; ergo non valet pactum in ejus præjudicium. Accedit quod pactis privatorum juri publico minime derogetur, c. *Si diligenti*, de *Foro compet.* et l. *Jus publicum*, ff. de *Pactis*. Et quia pacta in præjudicium juris parochialis inita procedunt de radice avaritiæ, non mirum, quod omnia inde percepta, reddi debeant Ecclesiæ parochiali, quæ exinde graviter læsa fuit; quia « non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, » can. *Si res aliena*, 16, q. 6.

76. *Idque exemplificatur.* — Sic non valet pactum, quo clerici regulares, vel sæculares rem Ecclesiæ suæ locando, vel in feudum concedendo obligant conductores, vel feudatarios, ut decimas eis persolvant, aut apud ipsos sepulturam eligant: nam hujusmodi pactum præjudicat juribus parochialibus, prout exemplificatur in cit. c. *Plerique*, h. t.

77. *Eligere sepulturam, et ad hanc eundem inducere, an liceat?* — Nec obstat, quod quilibet libere possit sibi eligere sepulturam aliam, salva tamen portione canonica suæ Ecclesiæ parochiali relinquenda, cap. 1, de *Sepult.* Nam aliud est, hære eligere sepulturam; aliud, inducere alienos parochianos ad jurandum, promittendum, sive paciscendum, ut relicta parochiali in suis Ecclesiis eligant sepulturam, vel antiquam non mutant. Illud est licitum, ut dictum: hoc vero veluti magis perniciosum, ac nonnunquam liberæ decedentium voluntati præjudicans, gravissime prohibitum non solum in sæpe cit. c. *Plerique*, h. t. sed etiam in cap. 1, de *Sepul.* in 6, et in Clem. *Cupientes*, § fin. de *Pœnis*, Riccius in praxi sepulturæ res. 573.

78. *Pacta superiorum localium religiosorum mendentium sine licentia ministrorum, vel capitulorum provincialium inita cum prelati ecclesiarum, de jure communi valent.* — Quæritur IV. Utrum valeant pacta et compositiones, quas superiores locales religiosorum mendicantium, ut puta priores Fratrum Prædicatorum, vel guardiani Fratrum Minorum, absque licentia ministrorum, vel capitulorum provincialium, ineunt cum prælati, seu rectoribus parochialibus Ecclesiarum, super juribus parochialibus, et aliis articulis? Resp. I. Etsi olim Alexander IV, et post ipsum Honorius III, irritaverit, ac nullius existere firmitatis decreverit omnes conventiones, et pacta, quæ Fratres Minores, etiamsi sint guardiani, vel custodes, fecerint contra prædicti Ordinis statuta, vel consuetudines absque generalis vel ministrorum generalium licentia, et assensu: hæc tamen privilegia per Bonifacium VIII correctæ et revocata fuerunt in decretali, quæ incipit: « Quia ex eo, » atque refertur cap. ult. h. t. in 6, ac proinde spectato jure communi prædicta pacta valent. Ita Emman. Rodericus, tom. I. *Quest. regul.* q. 27, art. 3. Layman, in d. cap. ult. h. t. in 6, et alii; idque patet ex textu citati capituli finalis.

79. *Secus spectatis eorundem privilegii.* — Resp. II. Nihilominus dicta decretalis Bonifacii VIII, denuo sublata fuit per Sixtum IV, qui, « Motu proprio et ex certa scientia, auctoritate Apostolica approbavit, et robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit omnia, et singula privilegia, per quoscumque Summos Pontifices (sicque etiam per Alexandrum IV, et Honorium III,) prædecessores suos, Ordini Fratrum Minorum, et illius domibus, et professoribus in genere sub qua-

cunque forma verborum concessa, ac propiori cautela omnia et singula prædicta de novo concessit. » Ita Emman. Rodericus, cit. art. 3, id uberius probans ex concessionibus aliorum Summorum Pontificum, et addens ita servari in nostra sacra religione. Layman in cit. cap. ult. h. t. in 6; Pirhing, h. t. nu. 14 et alii: qui proin recte monent circa hoc in praxi attendendas esse consuetudines, statuta et privilegia Apostolica post dictam decretalem Bonifacii VIII facta, seu concessa. (ADNOTATIO XVI.)

80. *Pactum, quod filia dote contenta patri ab intestato non succedat, num valeat.* — Quæritur V. Utrum valeat pactum quod filia dote contenta patri ab intestato non succedat? Resp. I. Circa hoc habetur celebris decretalis in c. *Quomodo*, 3, h. t. in 6, ubi Bonifacius VIII præsens dubium in hæc verba resolvit: « Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis: si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debet: cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. » Hæc Pontifex.

81. *Istud a jure improbat, nec valet.* — Et quidem quod jus civile improbet tale pactum, illudque non valere decernat, præter hæc expressam contestationem pontificiam, patet ex l. *Pactum dotuli*, C. de *Collationib.* Idque factum est, « Juris auctoritate, » ut loquitur textus in citata lege, atque ob bonum commune. Nec immerito, tum quia hujusmodi pactum filia cum patre, non tam spontaneum, quam reverentia paterna extortum videtur, ut inquit Zoesius, tit. de *Pactis*, ff. n. 36; tum quia per hujusmodi pacta retrahuntur liberi ab obsequio paterno, in quo spe futurae successionis retinentur; unde meritis magis filios ad paterna obsequia esse provocandos, quam pactionibus astringendos, recte notatur in l. *Si quando*, § *Illud etiam*, C. In *offic. testam.* Et quia hæc dispositio juris civilis naturali æquitati, et rationi consentanea existit, nullumque fovet peccatum, simulque secluso juramento a jure canonico nullibi contrarium reperitur statutum: hinc merito concluditur, etiam secundum canones non valere pactum, quo filia dote contenta renuntiat paternæ hæreditati, nisi accesserit juramentum, quo firmetur, arg. cap. 1, de *Novi oper. nuntiat.* junctis dictis in præmio, § 13, n. 224, 225 et seqq.

82. *Nisi fuerit juramento firmatum.* — Secus est quando ejusmodi pactum est juratum: tunc enim, quia tale juramentum ejusque observatio non vergit in dispendium salutis aeternae, neque redundat in alterius detrimentum, optime resolvit Pontifex cit. c. *Quamvis*, h. t. in 6, illud esse validum et observandum. Et quia hic agitur de materia peccati, seu de vitando peccato ac perjurio, dictam constitutionem pontificiam obtinere etiam in foro civili, et per judicem saecularem esse servanda, recte notat Glossa ibid. §. *Servari*; Covarruvias part. III, in c. *Quamvis pactum*, § 4, n. 18, h. t. in 6; Alexander, consil. 29, lib. III; Zoesius ubi supra n. 37, cum communi, et concordant dicta in proemio § 12, n. 219, et seqq.

83. *Quid, si hoc juramentum vi, aut dolo fuit extortum?* — Istud tamen Pontifex ibidem intelligendum decernit de « juramento nec vi, nec dolo praestito. » Quale « juramentum vi extortum » dicitur illud, quando filia renuntiat paternae haereditati gravi metu majoris mali adacta; puta, quia alias dotem a patre obtinere non posset. « Dolo autem juramentum censetur extortum, » quando parentes scienter persuadent filiae, minores esse facultates suas quam revera sunt, sicque ipsa seducta, et modica dote contenta, reliqua haereditati sub juramento renuntiat. Nam juramentum vi, aut dolo extortum, vel nullatenus est obligatorium, ubi videlicet talis vis, seu dolus intervenit, quod valuerit auferre consensum; ut loquitur Abbas in c. *Cum contingat*, n. 3, de *Jurejurand.* post Joan. Andream, in cap. un. de *Commodat.*; vel saltem non est efficaciter obligatorium cum possit peti ejus relaxatio, haecque per Ecclesiam concedi solet, c. *Verum*, 15, de *Jurejurand.* Imo et magistratus saecularis potest cogere eum qui vim aut metum intulit, ut juramentum remittat; Pirhing, h. t. n. 32, quamvis directa relaxatio vinculi juramenti, quae fit per modum dispensationis, seu absolutionis, non nisi ad ecclesiasticos praelatos pertineat: nam potestas ex parte Dei remittendi juramentum, est ecclesiastica, et omnino spiritualis. Layman, lib. IV, *Theol. mor.* tract. III cap. XI, n. 9, post Suarez, lib. II, de *Juramento*, cap. XII, n. 16, et alios.

84. *Filia ex jurata renuntiatione dotis enormiter laesa potest petere ejus rescissionem.* — Ex dictis etiam infertur, quod filia (idemque dicendum de filio, vel quovis alio necessario haerede, ut notat Layman in cit. c. *Quamvis*

n. 2, h. t.) quae dote accepta cum juramento renuntiavit paternae haereditati, atque enormiter, seu ultra dimidium, inde laesa fuit, post obtentam absolutionem a juramento, possit petere rescissionem dictae suae renuntiationis atque haec a judice sit concedenda ob ejusmodi enormem laesionem rite probatam. Covarruvias, cit. part. III, in c. *Quamvis pactum*, in 6, § 4, n. 11; Gailus, lib. II, *Pract. observat.* 147, n. 8 et 9; Fachineus, lib. VIII, *Controvers. juris.* cap. LXIX et citans alios et solvens contraria. Siquidem juramentum junctum enormi laesioni, nempe ultra dimidium, censetur dolo extortum: nam tunc « ipsa res in se dolum habet, » ut inquit Ulpianus in l. *Si quis cum aliter*, ff. de *Verb. obligat.* Solum adde, quod in tali casu, laesio ultra dimidium sit consideranda solummodo pro tempore, quo dos a patre fuit filiae suae data, seu constituta; computatis videlicet bonis illis, quae tunc pater ejus habebat, non autem aliis, quae postea pater ejus habuit, vel habere potuit. Covarruvias, loc. cit. nu. 15; Fachineus, ubi supra, Menochius de *Arbitrar. judic.* casu 149, n. 17 et 18, cum aliis.

85. *De aliis pactis. Remissive.* — Tacentur plura alia pacta, de quorum validitate disputant doctores: ut est pactum legis commissoriae quo creditor cum debitore convenit, ut si intra certum tempus non fuerit debitum solutum, pignus pleno jure acquiratur creditori: item pactum, ne fructus pignoris computentur in sortem, ac hujusmodi. Nam de his in specie commodius tractatur in propriis locis. Verum occasione praemissorum,

86. *Pacta inferiorum caeteroquin invalida, an per consensum superioris convalidentur?* — Queritur VI. Utrum pacta inferiorum caeteroquin invalida, per consensum superioris convalidentur? Ubi per *Superiorem* intelligitur ille, qui de jure habet potestatem ad hoc, ut Papa; prout notat Vivianus in *Rationali juri*, c. *Quoties*, h. t. et Glossa in cap. I, de *Transactionib.* Quo praenotato,

87. *Respondetur distinguendo inter pacta de jure naturali invalida, et valida.* — Resp. I. Quando pactum, vel alius actus subditorum, secundum substantiam suam, ac spectato etiam jure naturali est invalidus, tunc is per advenientem consensum superioris non validatur, nec confirmatur: bene tamen si is aliquo modo fuerit validus, saltem spectato jure naturali, licet de jure positivo humano, sit irritus. Ita Layman in cap. II, h. t. et Barbosa

ibid. n. 1. et 2, cum aliis, quos citant. Ratio prioris partis est: quia, quod non est, confirmari non potest; cum non entis nullae sint proprietates, arg. c. *ad dissolvendum*, 13, de *Desponsat. impuber.* et amplius declarat Glossa ibid. §. *Legitime*. Ergo, si actus quoad substantiam ac spectato etiam jure naturali est nullus, hoc ipso confirmari non potest, nam paria sunt, non esse et esse nullum, l. *Duo sunt Titii*, ff. de *Testament. tutel.*

88. *Respondetur distinguendo inter pacta de jure naturali invalida, et valida.* — Altera pars desumitur ex c. *Quoties*, 2, h. t. ubi summarium sic habet: « Conventio invalida per consensum superioris validatur. » Quod esse intelligendum de invaliditate conventionis, seu pacti, proveniente ex jure positivo humano, probant dicta n. praeced. Concordat cap. I, de *Transactionib.* ubi Pontifex pactis tunc initis, si quid forte injuria, vel imperita minus firmitatis infertur continent, validum, perpetuumque robur attribuit. Nam etiam Papae convenit, quod de se affirmat Imperator. L. 1. § *Sed neque*, C. de *Veteri jure enucleand.* « Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur. » Ac proinde sicut a principio poterat Papa concedere pacto firmitatem, quod solo jure humano est invalidum; ita et ex post facto potest illud ratum habere suoque consensu, atque auctoritate confirmare, et convalidare, si quid forsitan minus roboris haberet.

89. *Superior requisitus debet pacta inferiorum confirmare.* — His pro coronide breviter est addendum, quod si conventio, sive pactum inter aliquos celebretur, ne de ejus validitate in futurum dubitatio oriri queat, superior requisitus, ut puta Papa pro securitate partium debet eam ratam habere, suaque confirmatione solidare. Patet hoc ex textu cit. c. *Quoties*, h. t. ac tradit. Glossa ibid. in casu, et Abbas n. 1. bene notans, quod *ratihabitio*, de qua ibi fit sermo, ponatur pro *confirmatione*. Tacentur etiam, quae in simili dicta sunt superius, tit. II, de *Constitutionibus*, § 21, n. 540, de confirmatione statutorum, horumque revocatione.

§ IV.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

90. *Ratio agendi hic de contractibus.* — Contractus vel coincidit cum pacto, vel continetur sub pacto, ut sit tanquam species sub

suo genere, ut dictum supra, § 1, n. 5, et 10. Quia igitur in jure canonico nullibi expresso agitur de contractibus in genere, non obstante, quod eorum aliqui in specie ventilentur in lib. III, *Decretalium*, tit. XIV. et seqq. merito, quae contractibus ut sic conveniunt, impraesentiarum examinantur. Hinc

91. *Contractus, quid?* — Queritur I. Quid sit contractus, et quomodo dividatur? Resp. I. « Contractus proprie dictus » est pactum, ex quo ultro citroque oritur obligatio. Ita in re communis; et patet ex L. *Labeo*, ff. de *Verb. signif.* cujus verba superius n. 6, sunt allegata, ubi pariter notatur differentia contractus proprie dicti a contractu large sumpto. Spectata quippe nominis etymologia, « Contractus dicitur quasi simul tractus duarum voluntatum, » prout loquitur Scotus, 4, dist. 26, q. un, § *Ad probationem*.

92. *Et qualem importet ultro citroque obligationem?* — Caeterum memoratam obligationem intellige de ultro citroque obligatione, quae oritur ex virtute justitiae commutativae. Alioquin enim etiam ex aliis virtutibus oriri potest mutua et reciproca obligatio; ut puta parentum erga filios, sulditorum erga superiores, mariti erga uxorem, et econtra; quae tamen non venit nomine contractus.

93. *Contractus verus, seu explicitus, et formalis, quid?* — Resp. II. Contractuum divisio est multiplex. Atque ut taceantur nunc diversi contractus in specie, ut puta contractus venditionis, emptionis, locationis, commodati, et hujusmodi, de quibus suo loco, contractus ut sic imprimis dividitur in contractum verum, et in quasi contractum. « Verus contractus » dicitur, quando obligatio oritur ex vero, seu expresso utriusque contrahentis consensu: et hunc theologo appellant « explicitum, seu formalem contractum, » eo quod fiat expressa partium conventio.

94. *Quasi contractus, quid?* — « Quasi contractus (quem theologo appellant Contractum implicitum, virtuales, seu interpretativum » est ille, quando unus obligatur alteri ex legis dispositione, licet nulla expressa conventio inter partes intercesserit, sed interpretativa solum, ex legis videlicet dispositione. Sic fit in tutela, nam tutor, hoc ipso quod suscipiat in se tutelam, censetur se obligare ad ejus administrationem juxta leges, ac receptam consuetudinem, etsi id verbis non exprimat. Et hoc idem dicendum est de aliis, qui quodlibet officium in se suscipiant: nam hoc ipso censentur tacite, seu ex ipsa juris interpretati-